

sapiùs maiorem longè sollicitudinem in contagione pestilentiaë esse adhibendam. Sed hæc iam fortè prolixius, quàm par est, disputata videbuntur: quod æquus lector facile mihi condonabit, si cogitet, non esse inutile, nos interdum variarum rerum admoneri. Excitat enim hæc res ingenuos homines ad diligentiorē veritatis inquisitionem: quæ veritas, vt Pythagoras dixit, in profundissimo puteo demersa & abdita est.

Admonitio ad singulos reip. subditos, vt operam suam conferant, ad commune contagij pestiferi periculum prohibendum.

C A P V T. I I X.



ED non deerunt fortassis aliqui, qui hisce nostris constitutionibus animo iniquiori obloquentur, vel quòd iudicij inopia, rem non satis diligenter possint perpendere & intelligere, vel quòd consilium non ferant, quo se in ordinem cogi animaduertant: vulgus enim omnis iugi impatiens esse solet. Sed his mox respondendum est. Qui verò sem-

semper pestem peculiaris ac immediati à Deo flagelli ratione contingere persuasi sunt, neque ob id humanæ operæ aliquid tribuunt, hos nihil aliud quàm monere possum, vt se rectiùs institui sinant. Qui ordinis impatientiores apertè se nostris conseruatoribus opponent, veteremque consuetudinem & libertatem vrgebunt, hos omninò admonitos velim, vt cogitèt, non sibi solum hîc consuli, sed etiam vxoribus, liberis, & propinquis, imò vniuersæ societati. Quæ igitur fuerit barbaries, non velle ad exiguum tempus ferre, q̄ tutò possis, vt libereris ab eo, quod tibi si accidat, perferre nisi cum discrimine vitæ non possis? Age, quis non libenter tempore belli, vel in vrbis obsidione, leges aliquot nouas quidem, sed eo statu necessarias, à Senatu aut Duce militum sibi præscribi patiatur, quibus intelligat fortunam salutemque tum suam, tum popularium suorum posse defendi ac conseruari? Imò quis non hostem omnibus viribus arcere à finibus, si absit: vel eijcere si vrbem ingressus sit, studeat? Quis in communi inundatione aquæ, aggeres tueri ac firmare, domos stabilire, liberare pecudes, hominibus natantibus subuenire, & vel tabulam saltem, si non queat ampliùs, naufragis præbere non labore? Quis non accurrat & opem ferat ouibus, si lupus alicubi in stabulum irruens gregem dilaceret? Quis (inquam) adeò est crudeli animo præditus, qui in his calamitatibus non velit *χερσίετε ποσίετε*, quantum

*Leu. Lema.
2. de occul.
nat. mira.
cap. 6lt.*

quidem anniti queat, subsidium rebus cadentibus afferre? Quis has proximorum miseras obmollitiem æquo animo possit aspicere? O prorsus ab omni humanitate alienum, & prorsus adamantinum, aut potius belluinum pectus, quod vllum ignaviæ locum hîc dandum putet! Bruta sibi mutuò, ac quidem promptè auxilium ferunt, si quid aduersi ipsis ab alijs accidat: & homo, qui ab humanitate appellationem suam habet (quæ vox omne officij genus in se includit) vt inutilem libertatem retineat, in summa totius vrbs afflictione, non velit sibi honestas, commodas, necessarias leges, non perpetuas, sed temporarias ferri? Et secundum harum æquitatem publicum bonum & sociorum salutem ac vitam tueri? At dissimilia, inquit, sunt exempla, quæ adducis: quia illius Deus, horum homines, vel aliæ creaturæ, autores sunt. Quasi verò quicquam sine Dei prouidentia, atque adeò sine diuino ipsius decreto accidat. Quasi quicquam mali in ciuitate sit, quod Deus non fecerit. Sed hæc olim à nobis dijudicata fuêre. Age, si quem videamus fame premi, hunc cène ex Dei mandato cibandum nobis existimas? Etiam si sit Turca, etiam si ethnicus, etiam si hostis noster? Quantò magis igitur hoc officij debemus fratribus, vicinis, ciuibus nostris, quorum opera nunquam carere possumus? Quod si verò ita egentibus opem nostram subtrahamus, an non coram Deo homicidæ sumus? D. Iohannes ait, qui

Eccles. hist.
7. cap. 28.

qui non amat proximum, committere homicidium, & charitatem in illo non manere. Et huiusmodi vnum fuit eorum criminum, quæ Deus obiecit Sodomæ, vt Ezech. dicit: Ecce hæc erant peccata sororis tuæ Sodomæ, otium, luxus, neglectus proximi. Eodem prorsus modo dicturus est Christus vltimo iudicio: Ego esuriui, & non dedistis mihi cibum, ægrotavi & non inuifistis me, &c. Quod si igitur tantum crimen est, cibum negare, vel ægrotum non visere, quanto grandius erit crimen, præsentem quasi mortem & interitum pro virili sua nolle auertere? Vtinam locum apud obstreperos istos, & publicæ salutis contemptores inueniat, summi & heroici viri Martini Lutheri consilium, qui tam prudenter, tam piè, tam denique studiosè omnia auxiliorum genera adhiberi suadet, quæ quocunque modo prodesse possunt: neque quicquam prætermitti vult, quod eiusmodi incendium aliqua ratione possit restinguere. Ita te gerito, inquit, vt qui commune vrbis incendium cupiat extinguere. *Pestis est incendiū.* Quid enim aliud est pestis, quàm ignis quidam, qui non ligna aut paleas, sed vitam & corpus absumat ac deuoret? Proinde sic cogitandū nostrū vnicuique est: si Sathan Dei voluntate, vel per se, vel per suos ministros hoc lethale toxicum nobis peperit, ego contrà ante omnia orabo Deum, vt hoc ipsum sua misericordia à nobis auferat: Deinde addam operam qualemcunque meam, tum suffumigando & illustrando aë-

rem, tum vsurpandis medicamentis, tum vitando contagio, vbi praesentia mea non requiritur, ne meipsum quicquam neglexisse videar, aut alijs, qui mea negligentia damnum capere possint, interitus autor fiam. Quod si nihilominus Deus me volet hoc morbo affligi, vel ad se ex hoc mundo reuocare, saltem officij mei quod erat, fecerim, neque in meipsum, aut in proximum quicquam peccauerim. Vbi verò opera mea necessaria est, ibi nihil omittam omnium, quæ fieri à me possint & debeant. En isthæc verè pia est fides, quæ nihil temerè agit, neq; Deum vlla in re tentat. Hæc ferè ita Lutherus, verbis tamè Teutonicis. Ergo si talis prudentia & fidelitas primum in Magistratu, deinde in ciuibus spectarentur, longè profectò tolerabilior pestilentia esset futura. Vbi verò hi quidem nimium sunt temerarij & negligentes: illi contra nimis meticulosi, ibi Sathanas facilè pro sua libidine sursum deorsumque voluit omnia, malumque vsque eò augetur indies, vt tandem miserabilis facies, totius ciuitatis existat. Languescunt enim commercia, oritur rerum omnium caritas, cessant conuentus Ecclesiarum, periclitatur charitas, omnia suspecta habentur, & vt poëta ait, nec hospes ab hospite tutus, Nec socer à genero, fratrum quoque gratia rara est. Non redditur debitus honor neque magistratui, neq; parentibus, disciplina negligitur vniuersa. Meratrepidatio, desperatio, infantium eiulatus, mulierum lachry-

man-

Status temporis pestilentialis.

mantium strepitus, luctus, mœror, terror, familiarum internecio, testamentorum corruptio vel impeditio, hæreditatum confusio, vrbis vastatio, interitus Reip. & denique nihil non miseriarum auditur & visitur. Quæ meritò omnia ob oculos sibi proponere debebant, qui hanc causam tam parui faciunt, vt nihil eius nomine, quod & facile factu, & illis ipsis indemne, imò salutare sit, exiguo duntaxat tempore ferre velint: sed vel religione, cuius vim non intelligunt: vel rebellionem honestas & reip. vtilis leges aspernantur, & qui ipsis salutaria cōsilia, quibus gratis vti queant, magno labore synceròque studio suppeditant, ingrati reijciunt: quorum tamen ignorantia atque malevolentia, propter bonum publicum, conseruatores minimè concedere oportet: sed illud potius diuinum Hippocratis iudicium sequi debent, vt quod ab initio visum est esse consultum, cōstanter vrgeant, ac in eo perseuerent. *Aph. 52.*

Hæc sibi vnusquisq; vel meo vel conseruatorum nomine dicta putet, ac sedulò studeat, vt laboranti patriæ fideliter opituletur. Quod ni fecerit, Deo hominibúsq; pœnam daturum se metuat.

